IN

Viri Reverendi, & sincera pietate, ac muniorum sacrorum usu, atq; devotione prorsus singulari, Conspicui

DN. JOHANNIS HYPERICI

Ecclesiæ Polonicæ Thoruniensis Ministri usquaquaq; fidelissimi;

Nec non

Ecclesiarum J. CHRISTI orthodd: Majoris Poloniæ, Senioris vigilantissimi

A. D. 18. Maij Anni ult: temporum cIↄ Iↄc LVII

piè, placidèq; defuncti, &

A. D. 22. ejusdem mensis

Christiano, honoratissimóq; funere elati & conditi

Excessum,

Tametsi superstitum plurimis perluctuosum postq; tot utilium virorum pro-nuper-mortes (utinam non!) ominosum:

Ipsi certè Defuncto,

quà â calamitatibus, quà â periculis mundialis seculi verè jam eximio,

beatissimum;

Supremum Amico, ac Spirituali patri honorem, debitum illum

præstiturorum

CARMINA EPITAPHIA

THORUNII, Exscripsit Typis Michael Karnall.

Té ne quoq; HYPERICVM carum caput oppetere,
Et petere Elysij florida prata poli ! (eheu!
Vix dum desijmus spectatum flere XYLVRGVM:
BLANKI, TZICOVI, nec KITELINE lates.
Vosq; pij manes, quis vos memori eximet ævo ?
Justa sed ecce novi causa doloris adest.
Vltimus illorum, reperi quos, ante, Ministros,
Ter decies & ter dum hîc mihi transit hyems,
HYPPERICVS, quem humili miserûm prece turba
Sæpiculé, hic morbi vi modó victus obît. (levârat
Hic, si quisquam alius, DOMINI commissa perégit
Sinceré-integra relligione, fide:
Hic, si quisquam alius flexisse orando Jehovam
Ardenter solitus: (vis ea grata DEO.)
Hic, si quisquam alius, vitâ documenta probauit,
Jnq; suo voluit munere *Stando mori*.
Multùm etenim morbis vexatus, & ultima passus,
Morte obitâ, clausus lumen utrumq;, jacet.
Hunc pia turba, & amans Ecclesia plorat ademtum,
Mœstaq; dat lacrymas orba parente suo.

Verum nequicquam ploratis: facta voluntas
Jehovæ, hanc natus corrigat ullus homo?
Revera HYPPERICUM neq; dixero lumine cassum,
Qui stellas inter nunc micat incolumis,
Qui, cui servierat, coram de Lumine Lumen
Justitiæ Solem lætus ovansq; videt.
Aternaq; valens, & luce, et pace beatus,
Pro curis sumit præmia larga suis.
O fausta HYPPERICI nostri, & mutatio felix!
O Te sic videam da quoq; CHRISTE mihi.

L. C. H. iunior

Eidem Defuncto hos phaleucos.

Senex optime, cui vita beata
Jam nunc, æthere qualis in supremo
Vivo vivitur, atq; sentienti
Nunc quæ ignobile suspicit, pavetq;
Vulgus, negligis, & beate rides.
Hoc est vivere, non timere mortem
Et morti nimias moras trahenti
Non horrescere proximam senectam
Nam, quam vita diu est inevolutis
Cæci carceris impedita nobis,
Tam mors illa diu est, minusq; deinceps

Quo

Quó magis cupit eſſe vita pergit.
Heic præpoſterus integratur ordo,
Senes naſcimur, & ſenes per omnem
Vitam degimus, ingruente donec
Fato, mox ſenium excipit juventa.
Ad veram patet expedita vitam
Per mortem via per ſenectam & olim
Nobis perpetuam itur ad juventam.

Debitâ εὐνοίᾳ Conſecrabat

M. Jacobus Gerhardi.

SQuamiger æquoreis tantiſper oberrat in undis
Donec ab hamatâ decipiatur acu,
Jn naſſam donec veniat vaſtamq́; Sagenam,
Atq́; homini fiat gratus in ore cibus.
Ales & æthereis volitat tantiſper in auris
Donec in aucupii retia tenſa cadat,
Remigio alarum tantiſper & aëra tranat
Aucupis occultâ donec ab arte perit.
Et fera tantiſper ſylveſtribus errat in oris
Tantiſper Nemorum per loca cæca ruit,
Cæſa cadat donec rigidâ Venantis ab haſtâ

Jn

Jn caſſes donec præda cupita ruat.
Fallere nam vix ulla poteſt Actæonis artem,
Fruſtrari aut arcum clara Diana tuum.
Sic Homo tantiſper vitalibus utitur auris,
Donec eum rabies Mortis acerba necet.
Et fera ceu vix ulla poteſt Actæonis artem,
Fallere, venatus aut fugitare dolos.
Piſcis uti nullus potis eſt vitare Sagenam,
Neſcius eſt naſſæ fallere poſſe dolos.
Ales uti neſcit laqueos vitare doloſos
Aucupis ut fraudes ludere neſcit avis;
Sic quoq; nullus Homo Parcarum liber habetur
A rabie, Parcis ſubjacet omnis Homo.
Neſtora quis quamvis ſuperet vivacior annis,
Tithoni ſuperet quamlibet ille dies:
Non poterit Mortis tamen evitare Sariſſam,
Parcarum poterit non ſuperare colos.
Sit quamvis aliquis Regum de Stemmate natus,
Sit clarus titulis, ſit vel honore potens.
Nîl claros Parcæ titulos nîl ſtemmata curant,
Sentibus exæquat lilia, Parca ferox.
Sitq; Stagiritâ quamvis puis doctior ipſo,
Doctrinâ Parcas leniet ille minus.
Quantumvis aliquis Demoſthenis ore loquatur,
Eloquio major ſit Cicerone licet:
Non tamen Eloquio Parcarum ſpicla retundet,
Eloquio

Eloquio effugiet non fera tela Necis.
Theologa illius licet incolat abdita Siren,
Sit licet illius Tiphys & Automedon:
Non tamen hoc mites reddet poppyſmate Parcas,
Mitior hoc reddi pegmate Parca nequit.
Exuperet quamvis aliquis pietate Joſephum,
Nemo ſit hocipſo vel probitate prior,
Eſt Probitas Pietasq; tribus velut alga Deabus,
Nîl Parcas Probitas nîl Pietasq; movet.
Teſtis & exemplum eſt HYPERICVS ut ille fidelis!
Quem modo defunctum flet pia turba Senem.
Nunc cujus corpus vacui cava panda ſepulchri
Accipit, exuvias cujus & urna capit.
Jlli propitiam fecit DEVS eſſe Senectam,
Juſſit, honoratum fecit & eſſe Senem.
Jllius at Senium Parcarum eludere falces
Non potuit, ſectus jam ſicelice jacet.
Doctrinâ, Probitate Senex Pietate priorem,
Vix habet, in tumulo cuncta ſed iſta jacent.
Theologam ſonuit docuitq; fideliter artem,
Euſebies cultor ſedulus ille fuit.
E Sacrâ pandit Chriſtiq; oracla cathedrâ
Sedulus, in cunctos officioſus erat.

Ergo

Ergo gemit, queritur dolet & sibi cœtus ademptum.
Jure Virum, tanti cassus amore Viri.
Jlle sed Elysiis ovat, & lætatur in oris,
Præmia jamq; Suâ pro pietate capit.
Jllius ut recubent nos molliter ossa precemur,
Cumq; Animâ ut tandem corpus ovare queat.

Condolentiæ & honoris ergo fecit.

Ludovicus Möllerus.

FLaminis alme tui tua gens sacra Christe parabat,
Jnq; suos albens se flores induit arbos:
Cum Venerande Senex extremi temporis ætas
Advenit tua, Sol propiorq; arctum petit; Ecce
Adstat hyems vitæ, vivendi pausa dierum.
Te pietate gravem & meritis conspexit, at ungue
Sanguineo puduit non tandem exsangue ferire
Hoc corpus, commune hominum, insatiabile Lethum.
Nam licet id multos aliquos indulgeat annos
Jnter millenos paucis: fallax tamen hora
Omnibus esse docet moriendum, quæ modo nata.
Sola manet pietas, æterni culmina Pindi

Vivaci

Vivaci exornans non marcescentia flore.
Non corpus tetrâ mortalibus allevat urnâ
Sed tempestive definit tempora luctus,
Posthuma defuncti post fata ut Fama virescat,
Sicq́ fides capiat promissam certa coronam.
Quo pietatis opus ferventius urserit olim
Quo mage relicta vitæ satur exijt aura,
Certius hoc nomenq́ suum laudesque tenebit
Templa colens divos inter stellantis olympi.

M. C. Hopp.